QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-octavâ Novembris.

M. URBANO LEAULTE', Doctore Medico, Præside.

An qui fermentationis, ille & hominis Naturam nescit?

I.

QUISQUIS aut Sapientiæ studio aut Medicinæ operam dedit, humani corporis scientiâ gloriatur. Quidni? puderet eum videri seipsum nescire à quo naturæ totius cognitio expectatur. Sed quotusquisque eorum est qui præter aut visûs aut tactûs potestatem in eâ re excurrisse agnoscatur? Singularum corporis partium nomina vel merè Latina vel Græco detorta fonte magnificè proferuntur, sua cuique facultas attribuitur, usus assignatur, omnium causa his illisve qualitatibus, primis, secundis, tertiis, occultis accepta refertur, has inter honos præcipuus habetur calori qui in capite spiritus animales, vitales in corde, in ore, ventriculo, totâ alvo infimâ naturales præparare, elaborare, perficere perhibetur. O laudem egregiam! O ampla spolia! aut vanas opinionum species, velut ægri somnia, sibi in animum induxisse, aut dissectionis labore improbo id unum detexisse quod vel naturæ rerum imperitissimus assequi possit. Hæc omnia aut non absurda aut etiam vera sint, quisquis sibi in detegendâ hominis naturâ docti famam comparare volet, progredietur ulterius & per obstantes sciolorum catervas sua explicans arma, naturæ sinui se immerget, ibi, quæ deceat Philosophum, latentem, Physicam & efficientem omnium humani corporis functionum causam sedulò indagaturus.

II.

CORPORIS humani fabricam nosse non superficiariam illam quidem sed intimam & cortice vel spississimo obvolutam alicujus pretii nec immeritò haberi debet. Sed quantumlibet in ea quis versatus oculatusque sit, nihilo φιλοσοφότερος erit reputandus, dum variarum quibus continuò exagitatur motionum causam repererit, quam si quis contemnat, rerum

quidem ſenſibus ſubjectarum haberi poterit eximius explorator, in humanæ vero naturæ ſcientiâ parùm aut nihil promoviſſe meritò exiſtimabitur. Hanc ut quis obtineat, ipſa ei naturæ principia adeunda ſunt, non quælibet ſed certa quædam. Eorum triplex ordo poteſt conſtitui; Omnium prima & ſimpliciſſima atomi habeantur, ſolâ mentis acie perceptibiles; ſecundum occupent locum quæ reſolutionis Chymicæ auxilio detecta ſunt: Poſtrema & compoſitiſſima terram, aquam, aerem, & ignem putato. Primorum contemplatione parùm in diſquirendâ Hominis naturâ utilitatis percipitur, ut quæ eâ exiguitate prædita ſint quam nulla aſſequi valeat ſenſatio vel exquiſitiſſima? Ultima jure etiam contemni poſſunt, mixtorum naturæ magis quàm principiorum affinia: Te confer ad ea potius quæ ſimplicitatis moderationem habent, ſpiritum ſcilicet, ſal, ſulphur, aquam & terram in quæ corpora fere omnia ignis beneficio ultimò reſolvuntur. Hæc invicem tenaciſſimè conglutinata pace altiſſimâ perfruuntur, datâ vero occaſione explicata & ſibi permiſſa pro iis quas gerunt inter ſe inimicitiis & diverſis ad motum huc illucve propenſionibus mirum quâ ſæpe exagitentur vehementiâ, quas turbas concitent, verbo dicam fermentationem exſuſcitant, primam, præcipuam, & efficientem cùm omnium naturæ operum, tùm etiam humani corporis functionum cauſam.

I I I.

FERMENTATIONIS Natura ejuſque ad explicanda Naturæ phænomena neceſſitas aliunde quam ab Hippocratis ſcholâ repetere inane eſt. Ejus prima origo & remotiſſima ab atomis; hæ variis ornatæ figuris, ſpecie determinatis, numero indefinitis & aſſiduo concitatæ motu, coalitu inter ſe mutuo moles quaſdam efformant exiguas, ægrè omninò & rarenter ſolubiles; ab his invicem conglutinatis ſpiritus, ſulphur, ſal, aqua & terra enaſcuntur, ſenſibilia rerum omnium principia. In horum unoquoque ſeorſim poſito nulla unquam perturbatio obſervatur, ex quibus enim conſtant moleculæ homogenæ ſunt & eandem ad motum propenſionem ac determinationem habent. Iis vero ſimul compoſitis, præ niſu quo à ſe invicem ſeparari natæ ſunt, aſſiduo eoque diverſo, ſeipſis interdùm, aliâs fermenti alicujus extrinſecùs occurrentis occaſione datâ ad motum invitantur. Hic motus fermentatio appellatur. Diſcrepat ab efferveſcentiâ; hæc ad ſolas corporis mixti partes integrantes pertinet, Naturam ejus & eſſentiam non attingit, eamque duntaxat in eo immutationem creat quæ tactûs aut viſûs judicio diſcerni & explorari poſſit; Illa motus eſt inteſtinus principiorum corporis naturalis quo nexus eorum & ordo immutantur. Si à ſe invicem omninò diffideant rem ipſam quam conſtituunt deſtrui, aliam oriri neceſſe eſt. Si quadantenùs duntaxat, ea ſolum contingit alteratio quæ aliter guſtum & olfactum quam anteà afficiat. Fermentationem nativo atomorum & molecularum ex iis emergentium motui præcipue adſcribendam non mediocriter adjuvat ea ſalis ſpecies quæ aciditatis ſenſum excitare nata eſt; principiis corporis cujuſlibet vel ad motum valde diſpoſitis vel jam nonnihil exagitatis

immiſcens ſeſe, particularum quibus conſtat acie longe acutiſſimâ ea tundit diſcerpit & à ſe inuicem contentione non levi diſcriminat. Calculum ponet quam optimè, qui fermentationi his fontibus natæ rerum omnium generationem durationem, interitum tribuerit; hominis quoque, in quo quidquid virtutis corporeæ animadvertitur, aut neſciri aut à fermentationis motu tanquam causâ primariâ, præcipuâ & efficiente repeti debere agnoſcendum eſt.

I V.

NATURA omnis quanta quanta eſt fermentationis in rerum omnium productione vim & poteſtatem prædicat. Plântarum ei vegetatio, generatio animalium, lapidum mineralium metallorum debetur elaboratio. Atque hæc quidem probabile eſt, ex humido certâ quadam ratione fermentato & coaguli ſaliſve cujuſdam fixi interventu concreſcere; Num ea cauſa habenda eſt quamobrem veteres quidam Philoſophi inter quos Hippocrates, aquam ceu humidum rerum omnium principium ſtatuerunt? Quod ſi ad plantas te convertes magis res patebit, ſemen terræ mandatum halitibus ab ea profectis, & tenuiſſimâ mobiliſſimâque quam ſol ſuppeditat materiâ, interius exagitatum emollitur & dehiſcit, accedit aqua pluvialis, ut variis ſalium referta generibus ſic ad movendam fermentationem aptiſſima. Hinc lobi explicantur, germinis fibrillæ panduntur, radices prodeunt, folia attolluntur. Hæc fermentationi dubitas eſſe tribuenda? Vide quanta eorum omnium facultas ſit ad promovendam vegetationem apud quæ ampla ſalis volatilis copia obſervatur. Idem de animalibus exiſtimato; vel homo cæteris longe antecellens tantulæ rei debet quod naſcatur. Muliebre ſemen ovi naturam præ ſe ferens quid prodeſt? niſi virilis acceſſione fæcundetur; quod alio obtineri quam fermentationis nomine cæcus ſit qui contendat. Ecquid enim eam in muliebri ſemine virile non moveat quod tot venæ, arteriæ, nervi, vaſa lymphatica, glandulæ ſpirituoſum, ſpumoſum & fermenti validiſſimi undequaque inſignibus ſplendidiſſimis quaſi delibutum ſuppeditant. Hujus itaque appulſu ſeminis materni particulæ motu inteſtino exagitatæ, explicant ſe, tumultuantur, tamdiuque dimicant dum hominis tandem aliqua primùm ſpecies priùs latitans expromatur, ab eâdem poſtmodùm à quâ originem duxit fermentatione incrementum ultimamque perfectionem adeptura. Ad hæc qui ſeriô attenderit, contumax ſit ſi ignoratâ motus hujus inteſtini naturâ ad accuratam humanæ naturæ cognitionem aut perveniſſe ſe contendat aut ſperet unquàm uſquàm perventurum.

V.

QUODCUNQUE in humano corpore obitur munus fermentationis virtute abſolvitur, coctiones procurat omnes, liquores quoſque nativo caractere exornat, excernit ſuperflua: ut ſe habet, vel naturæ votis conſentiens, vel ab iis aberrans, aut ſanitatem ſervat integram aut morbum accerſit vel ſub utroque caſu eâdem ſingularum partium configuratione & ſtructurâ

remanente; ut hæc causæ sine qua stare non possumus, fermentatio efficientis & primariæ meritò rationem obtineat. Et certè quid referret ad Chylosim interiorem ventriculi tunicam totuplici glandularum serie esse oppletam; quæ ei incumbit, fibris omnigenis musculorum vices sustinentibus esse intertextam. venarum, arteriarum, nervorum, vasorum lymphaticorum surculos innumerabiles per totam ejus substantiam dispergi, si cessaret fermentatio vel perperam & vitiosè obiretur: Quin ipse chylus per venas arteriasque distributus minime naturam mutaret suam nisi veterascens cui admiscetur sanguis fermenti ei officium largiretur: Idem esto de reliquis succis huc illucve impulsis judicium. Frustrà hìc ad calorem nulliùs apud nos imò nec alibi uspiam efficaciæ confugeris: nisi caloris nomine non nudam, quod plerique tamen fere omnes faciunt, qualitatem intellexeris, sed materiæ particulas ita & figuratas & fermentatione exagitatas ut ad eas admota manus sensationem experiatur quandam caloris denominatione vulgo notatam, rei ipsi quæ tangitur ineptissime attributam. Has mihi crede omitte nænias, his deliramentis abstine. Si veram Philosophi & studiosi naturæ indagatoris personam sustinere ac defendere velis, consule fermentationem, eâ detectâ naturam tibi hujus mundi universam atque hominis singularem repræsentabit, nihil te in vegetabilibus, nihil latebit in animantibus, eorum ortûs, durationis interitûs causas dignosces; Putrefactionum omnium, dissolutionum, præcipitationum, congelationum deteges originem, verbo dicam hominis quoque natura evadet perspicua nullâ unquam usquam aliâ ratione penitùs detegenda.

Ergo qui fermentationis, ille & hominis Naturam nescit.

Domini Doctores disputaturi.

M. Franciscus Faustus Alliot,	*M. Amandus Douté.*	*M. Petrus Cressé.*
M. Ioannes-Baptista Dodart.	*M. Franciscus Goüel.*	*M. Alexander Michael Denyau. Professor Regius.*
M. Philippus Douté.	*M. Nicolaus Brunel de la Carliere.*	*M. Claudius de Frades.*

Proponebat Parisiis ANDREAS CRESSE', Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1694.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.